

mihî est, etsi jam nunc in ipsis suis initiis non potest non esse pauper noster hortus, fore tamen post breve tempus, ut etiam nobis sit, quod exteris amicis horti communicando gratum facere et amoebea officia praestare possimus. Si peregrinatores nostri arabici, quos nuper audivimus Massiliam appulisse, ex istis quas adibunt oris, semina mittunt, quae in meas manus perveniunt, promitto Tibi, Vir Illustris, omnium aequam partem, et rogo te ne credas quod persuasurus te forte erit bonus Forskål, quem magni ceterum facio, sed qui nimis sane propria consilia amabat, et inde discedere bono ut aulici dicunt modo (de bonne grace) sane nesciebat, ne itaque credas, Vir Illustris, invidia nos erga amicam et vicinam vestram nationem teneri, quod si esset, sane de D^o Forskål omnino non fuisset quaestio.

Additum quem vides Pinacis Tui Botanici indicem, imprimis curavi, ut commercium plantarum caussa cum amicis instituendum tanto redderetur expeditius libello, qui literis inclusus cum cursoribus publicis per orbem circummitti potest. Subjecta nempe virgula sub numero aut litera, quae quamlibet speciem designant, notas facio species quae praesto mihi sunt, quo oculo istic liquet, quid mihi desit, quid a me peti possit, et facillimo labore ex eo exemplari quod in meos usus paratum penes me servo, quotiescunque lubet in alia transcribuntur a famulo lineolae. Tanto etiam majoris usus indiculus hic est, quod Catalogi loco tuo Pinace utor, et nomina generico-trivialia inscripta tabulis ferreis oleo dealbatis et ex bacillis pendentibus, ipsis plantis apposita in horto nostro conspiciuntur. Si, quod enixe item rogo, amicitia me Tua dignari, ejusque usum concedere volueris, idque intellexero, transmittam ad Te aliud Exemplar indiculi notatis speciebus, quae mihi praesto sunt, transigam etiam quae curam attinent seminum et radicum, quas benevolus concedes, et si Tibi lubuerit Hortulano Tuo eorum conquirendorum jussum dare, videbo ut operae ejus pretium sit. Vale.

Addo salutem plurimam et venerationis testimonium a D^o Ascanio.